

carnationis tue in ligno crucis mori uoluisti ut per tuam mortem humanum genus a perpetua morte liberares. presta per inuocationem nominis tui ut haec aqua tactu ipſus



sanctę crucis sanctificata. famulo tuo N. quem ardens febris grauer excruciat. proficiat ad corporis animeque salutem. quod ipse prestare digneris qui &c. Altera: Domine ihesu christe qui pro nostra redemptione per passionem tuam



hoc lignum sanctę crucis sanctificare uoluisti. concede propitius ut quicumque hanc aquam eiusdem san-



ctę crucis tactu sanctificatam haustu perceperunt. ab omni infirmitate mentis et corporis absoluantur. qui cum &c. Integras adieci, cum neque apud Gretserum de Cruce, neque in Martenii antiq. Eccl. Ritib. neque in Gerberti Monum. quidquam de hac Benedictione repererim. Benedictio in Festiuitate Sanctę Marię. Murat. col. 373. Gerb. p. 339. Benedictiones Palmarum. I. Deus omnipotens qui pro salute &c. II. Omnipotens sempiterne deus. qui in diluuii &c. III. Omnipotens aeterne deus mundi creator &c. IV. Deus qui filium tuum ihesum christum &c. Est Praefatio Gerb. p. 64. paullum mutata. V. Omnipotens sempiterne deus, qui de caelis &c. VI. Deus, qui dispersa congregas &c. VII. Adbuc petimus domine Sancte pater &c. Has omnes Benedictiones ab Autoribus citt. abesse deprehendi. Benedictio Ferri iudicialis.

Paullo breuior illa, quam Martenius produxit Antiquor. Eccl. Rit. L. III. c. 7. p. 491. huiusque tenoris: Benedic domine per inuocationem sanctissimi nominis tui. ad manifestandum iudicium tuum hoc genus metalli. ut omni demonum falsitate procul remota. ueritas ueri iudicii tui. fidelibus tuis manifesta fiat. per dominum. Benedictio dei patris. et filii. et spiritus sancti. descendat super hoc ferrum ad discernendum iudicium dei. Amen.

IX. fol. ult. Adnexae sunt Missae duae. Prima quidem in uigilia Epiphaniae una cum indicatione Epistolae et Euangelii. Haec habetur apud Gerbert. p. 15. Oratio tamen post Comm. Caelesti lumine &c. apud illum ipsa die Epiphaniae in Missa Ambros. occurrit. Altera in Dedicatione Ecclesiae est itidem apud Gerb. p. 226. sed nobis in Benedictione deficit, quae integra est apud eund. p. 341.

DCCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. 34 XVI. ineuntis Folior. 252. f. max. continet sacras preces inter Missarum solennia decantari solitas, uidelicet Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, modulis musicis pluries a pluribus Musurgis inclusas, et in quinque linearum systemate eleganter exaratas. Musurgorum haec fere sunt nomina: Jac. Barbirianus, de Orto, Alex. Agricola, Jaspas, Josquin, Verbonnet, Bruinel, Yzaac,

3043

C O D I C E S

3044

Lommearme. Themata modulorum subin in fronte indicantur. Ita legas: *Princesse Damorette. La messe de maleure me bat. Le seruiteur. Missa almana. Officium my my &c. Fol. 1. pag. averfa* praeter insignem marginem florulentum Virginem matrem exhibet puerum Jesum gremio foventem, qui ex libro ab Angelo sibi oblato cantillare videtur, altero Angelo interim fidibus adludente. *Pag. ead.* Insignia regni Lusitaniae conspiciuntur; *Fol. vero 2.* litera capitalis *prima* Principem armatum genuflexum e libro preces fundentem, tapete substrato litera M consperso, poneque adstante sphaera armillari et galea coronata, litera capitalis *secunda* juncta Lusitaniae Castellaeque insignia, caractere M rursus hinc atque inde adposito, *tertia* denique Sphaeram iterum armillarem cum lemmate *Spera Mundi* includit. Haec eadem Lusitaniae, Castellaeque Insignia cum separata, tum conjuncta *Fol. 17. pag. averfa* recurrunt. Liceat ex his inferre, Principem illum genuflexum non alium esse, ac Emmanuelem (lingua gentis *Manuelem*) Lusitaniae Regem, qui Isabellam Ferdinandi Cath. Aragoniae et Castellae Regis filiam in primo toro habuit, virum, ut testatur vitae scriptor *Hier. Oforius* L. XII. rerum sacrarum adprime studiosum et musicae amantem. Quod Sphaeram adtinet, Oforii verba L. I. *edit. Ulyssip.* 1571. p. 24. f. de expeditione Indica Vasca de Gamma agentis recitare juvat: *Mo-*

uebatur praeterea Emmanuel augurio quodam a Joannis mente et consilio ducto, quo illum vivens admonuerat, ut pro virtutis insigni, quod regis insignibus adjungeret, Sphaeram, in qua sunt coelestis regionis circuli descripti, gestaret. Id ipsum confirmant docti Mauriani in illustri Opere *Art de verifier les Dates &c. edit. Paris.* 1770. p. 830. f. *On voit dans le sceau de ce Prince son écusson surmonté d'une Sphere, symbole de son amour pour l'Astronomie, et des découvertes, que les Portugais firent sous son regne dans les pais éloignés.* Codicem nostrum cum Isabella Emmanuelis filia Caroli V. Imp. sponsa ad Aufriacos demigrasse, a vero non abludit.

DCCCXXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 35 XVI. ineuntis Folior. 141. f. max. nitide scriptus et coloribus exornatus complectitur *Missas* VII. modulis musicis quatuor vocum in *quinque* linearum systemate elaboratas, quarum hi sunt tituli: *Missa de venerabili sacramento Josquin. Missa de domina Josquin. Missa Hercules ducis ferrarie. Missa Malbuer me bat Josquin. Missa fayfant Regretz. In dyateffaron Josquin. Missa aue maris stella Josquin. Fol. 2.* conspicitur Insigne *Fuggerianum*, unde conjicere est, Codicem hunc una cum duobus sequentibus ad Bibliothecam illustris hujus Familiae pertinuisse, quae 1656. in Caesaream immigravit.

DCCCXXXIV.